

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glaucensis

154
L A C R U M Æ
D E N I C A L E S

Super

acerbo funere

Venustuli & amabilis quadrimuli

G A S P A R U L I ,

V I R I

Amplissimi atq; Consultissimi,

—DN.

BARTHOLOMÆI OSTEROTH

JCti Practici, Advocati in dicasterio Electoris

Brandenb. Cüstrinensi clarissimi, & civitatum

Neomarchicarum Syndici dignissimi

Filioli longè dilectissimi,

Quinto decimo Kalend. Decembreis

ANNO

∞ I O C X X V I I

piè defuncti,

Cum cordolio & mæstitudine

F U S Æ

â

J O A N N E M O L L E R O

Crosnensi SiL.

Typis

M I C H A E L I S K O C H I I .

Sil.P.L.C.

ME florio

ISOra

M
RVM.

& RE

nt

ologia
diosus



Empora ferali quis semisepulta cypressis
Impediet, taxo funereaq; caput?
Pallia lugubres præbete nigrantia vestes,
Et mecum in fletus ora ciete pios.
Jamq; gravis svadet crines demittere luctus,
Et jubet adsvetum deposuisse decus;
Hæc nunc nos posito nos hæc lamenta nitore,
Mistaq; singultu verbula fracta decent.
Exstinctam pullo murænam firmate flebat
HORTENSII virtus, multa querendo gemens.
Justior enati nobis est causa doloris,
Solvere quæ in lacrimas saxea corda queat,
Si causam repetas, elegis dignissima causa est,
Quos ô mœstities ne mihi nata nega,
Alta jube potius rupisse silentia, & æstum
Deminuat querulo nenia fusa sono.
Occidit! at querimonia claudit iter sermoni,
Ori verba natant ire negata foras,
Occidit immiti dejectus falce puellus,
Mortis inoratae falce puellus obit,
Quæq; modò apricâ pendentis ab arbore mali,
Aut minii similis pinxerat ora rubor,
Pallidiora jacent buxo, ceraq; recenti, aut
Termite, quem primo frigore lasit hiems.
Qualis virgineo decerptus pollice nimfæ
Narcissi marcet svave rubentis honos,
Ingenitumq; sibi valet haut retinere vigorem,
Maternum sitiens, quo situs ante, solum:
Talis, ubi ex tenui sensus fugere salillo,
Sécubat OSTEROTHI pusio filiulus,
Cujus vespillo piceâ fuligine tectus
Mortua perpetuis sedibus ossa locat,
Cui injustè fiunt humenti lumine iusta,
Et veteri extremus more paratur honor.
Manibus exequias puerilibus ite frequentes,
Discite maturæ tela cavere necis.

O mibi

O mihi Melpomene liceat pauxilla faventi
Dicere, & officium ferre supervacuum,
Sed mihi dicenti quis rerum nascitur ordo?
Et pueri poscat laus operosa virum.
Scitula progenies utrovis digna parente,
Spem dederat decori confore utriq; bonam,
Ingenuas animus perdiscere gnaviter artes,
Colliciis patrii ductus ab ingenii;
Maternis etiam pietas immulsa mamillis
In quemvis puero valdius aucta diem.
Est favor ille DEI, se dignam tollere prolem,
Nec minimi debet muneris esse loco;
Est favor ille DEI, dignos habuisse parentes,
Debet & hoc magni muneris esse vicem.
Emicat in vultu quam virtus multa parentum;
Tam multa in natis enituisse solet:
Transmittit contra patriam contagio labem,
Et solet in vitium filius ire patris.
Fortia nascuntur robusto animantia tauro,
Ex aquilâ nasci turtur atroce nequit.
Et velut in ramos radice agitatus ab imâ
Sese fibrarum dividit humor ope:
Indolis in natos abeunt elementa paternæ,
Ingenitoq; manent hausta magisterio.
Spes erat & minimè fallacibus edita signis,
Nec, nisi per rigidam cassa futura necem,
Lecturum quando vestigia pressa parentum,
Pergendo captam laudis amore viam,
Et quod amœnati locuples pectusculi agellus
Seminium cultâ suscipiebat humo;
Reddere posse olim rupturas horrea messes,
Et quæ luxurient divite frugis ope.
Et jam florescens composti purputa vultus
Signa dabat mentis non male-fida bonæ,
Gratia cui rediit de corpore multa venusto,
Virgineo niveis stante rubore genis.

A 2

Qualis

O mihi



Qualis ubi pleno coiens è nubibus orbe
Cynthia fulgenti clara nitore micat;
Qualis puniceos cum profert Cynthius ortus
Enitet, & croceis lutea Diva rotis:
Talis erat facies, quam mox aptanda marito
Sponsula non pauco præstinet ære sibi.
Hospitium ingenio dignum, dignum hospite corpus,
Est anima in pulchro corpore pulchra magis.
Non equidem formam sibi formosissima poscit
In tenui virtus sæpè reperta domo:
Gratior ista tamen, quæ pulchro è corpore manat,
De cælo species plurimum amœna trahit.
Et citius videas effulgere in harmate fulgur,
Aut discat recto grammæus ire pede,
Quam tibi Therstæ facies monogramma latentis
Virtutis minimum præbeat indicium.
Rara est in turpi virtutis gloria nido,
Nec quidquam ad gustum spurca lacuna facit.
Scilicet ut simili lactucâ labra fruantur,
Atque ollam maneat digna toryna suam,
Hæret in impuro mens impurissima cœno,
Atque aliquid pejus mens mala crimen habet.
Plumbea nonnunquam vaginâ cuspis eburnâ
Conditur, & vitium forma venusta tegit;
Custodita tamen si accedat cura parentum,
Admota à teneris ocyus ungviculis,
Non est, quod metuas damnosâ incommoda labis,
Ista patrum sollers cura cavere potest,
In puero qualem mœsti posuère parentes,
Cujus inane levis corpus arena tegit,
Quem sibi non facie magis externâq; figurâ,
Quam meritis vellent & pietate parem.
Seq; pii dederant primordia fausta laboris,
Auxiliante DEI sancta juvantis ope.
Cereus in studium virtutis amabile flecti,
Quoq; jubebatur, mente lubente sequax.

Quant



Quem natura patrem dederat, pariterq; magistrum,
Noverat hunc risu vincere & obsequio.
Risimus urbanè mannos, & tympana, & arcus
Panduræ, aureolos risimus ensiculos,
Et quæ tranquillat annos panchresta tenellos,
Quæ lepidâ poterat dicere voce puer.
Audisses secum jucundâ cernere pugna
Miscentem parili vinnula dicta sono,
Mellitos globulos, & sparsa papavere molli
Jurâsses tenero gutture verba loqui.
Tanta lepôris erat tornatis copia verbis,
Dispercam, si quid dulcius esse queat!
Ut mihi vel cunis agitati dulce labellis
Fudisse Hyblææ mel videantur apes.
Finxerat ingenium Titan meliore metallo,
Qualeq; mollities vix puerilis habet,
Blandula virtutis patrans documenta futuræ,
Quæq; vel in puero lingua probâssset anus,
Quæ facturus erat re, si sibi vita maneret,
Horum grata puer spe documenta dabat.
In primo appâret puerilis limine vitæ,
Quæ speranda viro, quæ metuenda sient.
Indolis at solvit pœnas melioris acerbæ,
Immiti factus præda citata neci.
Anticipans annos cursu sapientia plures
Festini causam præbuit interitûs.
Propositum carpturus iter nullo ære viator
Prædonum sævas non timet ille manus;
Non ita, quem censu meliore viatica ditant,
Qui secum grandes portat iturus opes,
Ludibrium debet crudeli triste latroni,
Et pariter vitæ damna rei q; facit,
Non aliter, gaudens selecto vivere raptu,
Supponit nitido Parca cuiq; pedem.
Optima quæq; ferè teneris rapiuntur in annis,
Innumero numero deteriora manent.

Præcoci

Quam



Præcoci ingenii fructus agnosce caducos,
 Victurus spacium debet habere puer.
Eheu, quam constat sapientia præcoqua magno!
 Ut vitæ damno sit redimenda brevis,
Quæ venit ante pilos, fragili sapientia fulcro
 Nititur, & stabilem nescit habere gradum.
I nunc & rebus nimium confide futuris,
 Nescia sunt uno stare secunda loco.
Ut cum vere novo se luxuriantibus arbor
 Explicuit ramis, flore superba suo,
Uberis agricolæ spem fructus præbet avaro,
 Diffundens pleno gaudia mille sinu,
Mox Auster pluvix reboans pincerna furore,
 Horrida turbineo murmure flabra movet,
Tecta crepant, strepitum dat silva impulsa sonantem,
 Arboreisq; perit frondibus omne decus.
Aut segetem veluti viridi suffocat in herba
 Horrida quæ campis plurima grando salit,
Vel nimii vexant soles, gelidæq; pruina,
 Vanaq; ruricolam specula destituit:
Aurea non aliter torquentes fila sorores,
 Vastitiam terræ triga minata gravem,
Deripiunt, jussit quem pro ratione libido,
 Insuper ætheriæ mentis acumen habent.
Parca mihi causas memora, quo mota furore,
 Invida non ulli parcere Parca potis!
Hunc etiam rupto subtegmine tradere letho,
 Et tumulo extinctum claudere, sæva, paras?
Concutis ingenti victos mœrore parentes,
 Tristiaq; insolitis imbribus ora rigas,
Jam loca confusis complentes cuncta querellis,
 Functum voce nihil proficiente cient,
Jam turbata iterum naturæ scita queruntur,
 Et mutata retrò tendere fata gemunt:
Quem defunctorum decuit componere membra,
 Huic ire ingratas cogimur exequias!

Debita

Debita redde prius nobis nutritia, nate,
Quam rapiat vultu te Libitina truci.
Sicut ubi implumes luteo de tegmine pullos
Turbatos escas ore ferendo videt,
Hac volitans illac vindictæ ignara fritinnit,
Et rostro gemitus edit hirundo vagos,
Aut ubi cœca petens venator lustra lænæ,
Quærenti catulos pabula matre rapit,
Illa domum rediens spoliata cubilia cernit,
Irato indomitum murmure torva rugit,
Et rabida incedens silvas mugitibus implet,
Amiffas repetens voce fremente feras:
Sic pia defuncti flet pignus amabile nati
Mater, & ex imo pectore multa gemit:
Eheu funestæ lacrumosa crepuscula lucis!
Quâ mea, quâ suboles plena lepore FUIT.
O êiconcula, delictum, mera vera voluptas,
Unica cura Patris, pufio Matris amor!
Eheu dimidium nostri & pars plurima voti,
Lurida lethæo pocula fonte bibis?
Quam sibi cura diem mordace poposcerat esu,
Sæpius alloqui condita melle tui,
Quale sopor fessis rapido messoribus æstu,
Quale solet siccis faucibus haustus aquæ:
Talis erat nobis, quem permulcente susurro
Blandule fundebas pupule, sermo tuus.
Jamq; verecundo roseas ex ore loquellas,
Atq; impacta genis oscula sæpè negas?
Exanimum luget frater fratrem unicus unum,
Et frustra adtonitus nomen inane vocat,
Et lateri comitem gemebundâ voce cupiscens,
Ad ludi pergit limina solus iter.
Corpore præstanti, quadriga venusta, sorores
Deplangunt tenerâ pectora fida manu,
Oblitæ decoris, laniantes pectore vestem,
Discissis pergunt exululare comis,

Osculaq;

Osculaq; exsangvi libantes plura feretro,
Daulias amissum, flent, velut ales Ityn,
Quasq; parant tumulo pallenti flore corollas,
Perfusas largo rore madefaciunt,
Me quoq; sollicitant multo suspiria fletu,
Ad quem tristitiæ pars quotacunq; venit,
Has etiam in versu lacrumæ fecere lituras,
Quo cineri invitâ voce parento, P U E R !
Atq; ego te æternæ (facit indignatio votum)
Si valeam morti, Mors inimica, darem,
Efficerem posthac, ne cuiquam impunè noceres,
Et pharetræ facerem spicula casta tuæ,
Fecisti strages tam paucò tempore multas;
Auctumnus foliis quam tegit udus humum,
Nec tamen innocui fitis est restincta cruoris,
Sed mergis barathro funera plura tuo.
Quod si non possis sævum dediscere morem,
Tolle, neca, terræ pondera tolle, neca.
Commoda qui vitæ vero non parva minantur,
Longius his spacium ne, truculenta neges,
Sed quo delabor, quo me dolor abstulit altus?
Absit! ego ut contrâ tendere fata velim;
Quin magis ista D E I placito, quia facta, relinquo,
Cujus in imperij lege quiesco lubens,
Consilii ratio penes hunc certissima, laudem,
quod faciat rectè singula, solus habet.
Tu quoq; sanctarum Vir consultissime legum,
Quem Themis & dono plure Suada beat,
Nè nimium justo frenos laxato dolori,
Vivit adhuc vultûs alter imago tui,
Utq; diu superet multos tibi sospes in annos,
Ex animo JHOVÆ vota supina fero.
Blandius irascens modò lumen figat Hygæa,
Et novet officium conciliata vetus.
Et quid adhuc doleas in nati funere adempti?
quem nôras istâ conditione satum.

Ecquis,

Ecquis, ubi flammâ devictum liquitur aurum,
Adfusisq; lutum vile, doleret, aquis?
Et contristemur, mortali semine cretum
Ad terram raptum morte redire suam?
Mascula Anaxagoræ calamum vitabit atrocem
Vox, eaq; est ævo digna, cupresse, tuo:
Qui, cum vox vacuas ferretur nuncia ad aures,
Lugubri natos morte perisse suos:
Nil ego miror, ait, nec luctu tangor inani,
Nôram, subjectos me genuisse neci.
Et tu, cui sexus plus paulò extendere luctum
Sequior indulget, desine lacrimulas,
Desine, prætextu nec, mater, abutere sexûs,
Se nec ab hoc virtus spernere vera solet.
Fronte mare atq; animo Gracchûm Cornelia mater
Funera natorum vel duodena tulit,
Ite per exemplûm vestigia plura, parentes,
Et quos proximius percutit iste dolor,
Nec fas immodico nimis indulgere dolori,
In saxum Niobe versa dolore monet.
Non hæc est virtus, ubi cursu vita secundo
Fertur, magnanimæ facta patrare notæ:
Sed sævis quando intonuit fortuna procellis,
Experiunda animi signa virilis erunt.
Tum demum apparet, quæ sit prudentia nautæ,
Turbine quando rates præcipitante regit.
Est aliquid, lacrumis spacium indulgere, levamen
Inde, peti luctu non mediocre potest.
Sed monet hîc medium servari regula, namq;
Ploratus vitium longior omnis habet.
Muta etiam amissis clamant animantia pullis,
Ducitur ad paucos clamor at ille dies.
Et lacrumas auro contrâ venire decebat,
Immissis valeant si medicare malis;
Verum non illis has vires fata dedere,
Plusq; quod exauret, quam quod inanit, habent.

B

Vidi

Ecquis,




Vidi ego, qui poterant nimio se frangere luctu,
Nullum, qui possit frangere tela necis.
Ante DEUS vobis cœlesti munere natum
Quam daret hunc, æquâ mente tulisse, reor;
Ergò reposeenti lato quoq; reddite vultu
Creditor ista suo mutua jure petit.
Sat vixit, metasq; dati pervenit ad ævi
Filiolus, nec, quò progredetur, erat.
At, ne virtuti videar diffidere vestræ,
Versibus impono summa modumq; meis,
Nec violenta novo medicamina porto dolori,
Intempestivè pharmaca sumta nocent.
Cruda reformidant medicinam vulnera mustam,
Tractariq; manu liberiore negant,
Post breviorè tamen spacio vel sponte requirunt,
Auxiliatricem ferre paratam manum.
Omnia fert tempus, luctum quoq; , sæpè ego longos
Lugendo memini me sepelire dies,
Nunc sopita mihi tot tristia, quæq; supersunt;
Posse etiam his finem ponere, credo, DEUM.
Quid vero voveat majus matercula nato,
Gaudia quàm vitæ non peritura dari?
Quantillam est spaciū fragili quod degitur ævo?
Vita nec hæc diei, cur mereatur, habet,
Quam vario torquent rerum discrimina motu,
Morsq; vel in mediis obruit atra rosis,
Fac Pylios autem te vivere Nestoris annos,
Meta tamen, nequeas transsiliisse, manet.
Non ita cœlorum quem scripsit curia civem,
Pocula sed nullo mista dolore bibit,
Veris ubi ridet nunquam peritura voluptas,
Ævica submoto gaudia sine manent.
Heu quam nos misero volvit fortuna rotatu!
Multaq; perpeffis sunt mala plura super,
Hosticus in nostram cœco ruit impete mucro
Perniciem, sisti nec ratione potest,

Nec revo-



Nec revocat quoquam vœcors à pectore ferrum
Sævities, nullum ponere gnara modum.
Bellorum finem pacemq; poposcimus omnes,
Non tamen hæc, quamvis sæpè petita, venit.
Ergò ea vivorum tabes depascitur artus,
Atque ipsum dici vivere pœna potest.
At tu coelitibus **G A S P A R U L E** mitte puellis,
Dulcia mansuræ gaudia pacis habes,
Pallida nec febris, aut morborum mille figuræ
Te vexant, nullâ debilitate gemis,
Purpureos tenero decerpis pollice flores,
Frigore te nullo quarta fatigat hiems,
Pendulus ab summi sermones ore Magistri
Aure legens, puero doctior alta lapis,
Aspectuq; **D E I** jucundo pascis ocellos,
Angelicis turmis cinctus utrimq; latus.
Omnia comprêdam velut uno fasce, beata
Quæ possunt dici singula, cuncta tenes.
Gratulor ista tibi melioris cambia vitæ,
Cujus particulam sit mihi ferre brevi
Pertæsum est mundi, subiit mihi nausea rerum,
Quas nimium terræ dedite homulle colis,
Quando voles, **D E U S** alme, voca, parebo vocanti,
Jampridem ad cœli gaudia pronus eo.
Supremum hunc cineri tetuli **G A S P A R U L E** honorem
Carminè dignus eras uberiore cani.
Sed tibi sufficiat pro re laudanda voluntas,
Extremum **S A L V E** fert mea Musa **V A L E**.



B

EPITA

Necrev



D. M. S.
EPITAPHIUM.

EXuvias istac posui GASPARULUS urnâ
Quem fieri vetuit Parca cruenta virum.
Octo supra primam exegi trieterida menses,
Et matvra tamen, Mors, tibi præda fui.
Delicium vivus fueram puerile parentum,
Jam dolor, immiti funere mersus, ero.
Sed finem facient natis moerore querellis,
Gaudia me cœli jam potiora tenent.
At tu qui transis monumentum, siste viator,
Quæq; tibi præco, dic tria verba quater:
EXPERIARE LEVEM TERRAM, CUI NUL-
LA FUISTI
SARCINA: ET ÆTERNI TEMPORA VE-
RIS AGAS.

F.
J. M.



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Quos te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locupletem Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminum disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatisq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674





154

RUMÆ ICALES

Super
o funere

amabilis quadrimuli

ARULLI,

VIRI

atq; Consultissimi,

DN.

MÆI OSTEROTH

locati in dicasterio Electoris

nsi clarissimi, & civitatum

um Syndici dignissimi

gè dilectissimi,

o Kalend. Decembreis

ANNO

O C X X V I I

defuncti,

o & *mæstitudine*

U S Æ

â

MOLLERO

snensi SiL.

Typis

ELIS KOCHII.